DE

MORBIS QUIBUSDAM TESTICULORUM.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AUCTORITATE ET CONSENSU

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE FRIDERICIA
GUILELMIA RHENANA

AD GRADUM

DOCTORIS MEDICINAE, CHIRURGIAE ET ARTIS OBSTETRICIAE

RITE ASSEQUENDUM

CONSCRIPSIT ATQUE UNA CUM ADIECTIS THESIBUS

DIE XXIV. MENSIS IUNII A. MDCCCXLIII.

PUBLICE DEFENDET

CAROLUS ODENKIRCHEN

RHENANUS.

ADVERSARIIS

ALBERTO GIERLICHS, MED. ET CHIR. DR.
HUGONE SIEFART, MED. ET CHIR. CAND.
SIEGERICO ARNDT, MED. ET CHIR. CAND.

BONNAE,

FORMIS CAROLI GEORGII.

MDCCCXLIII.

SERENISSIMO PRINCIPI

GEORGIO

DUCI MECKLENBURGICO STRELITZENSI

CELSISSIMO,

FAUTORI SUMME REVERENDO

ET

VIRO ILLUSTRISSIMO

CAROLO GUIL. WUTZER

MED. ET CHIRURG. DOCTORI,

REI MEDICAE CONSILIARIO INTIMO, PROF. PUBL. ORDIN., INSTITUTI CLINICI CHIRURGICO-OPHTHALMIATRICI ET STUDII CHIRURGICI ET PHARM. IN UNIVERS. FRIDER. GUIL. RHENANA DIRECTORI, ACADEMIAE REGIAE PARISIENSIS, SOCIET. MEDIC. BEROLIN. HALENS. ERLANGENS. MONGUNT. ET MONAST. SODALI EQUITI ETC. ETC.

PRAECEPTORI DILECTISSIMO MERITISSIMO

praeceptor meus clarissimus pro sua humanitate atque cura, qua auditores suos ad discendas litteras prosequitur, quacunque poterat ratione me adiuvit. Non solum enim occasionem mihi praebuit plurium observationum de morbis quibusdam testiculorum, verum etiam necessarios mihi libros suppeditavit, ex quibus locos huc spectantes colligerem, nec non ex observationibus propriis mihi nonnulla communicavit. Quidquid igitur, lector benevole, bonum et laudabile dissertatiunculae inest, illi potissimum viro illustrissimo debeo; quidquid vitiosum autem et mancum, iuventuti meae ignoscas. Iam vero bene vale, erudite lector, mihique fave!

Cap. I.

Inflammatio testiculi, orchitis, hernia humoralis.

L i t t e r a t u r a.

Alliet, *neue Wahrnehmungen. N. 15.*
Arantius, *de tumoribus.*
Aubert, *de vera causa et cura inflammationis testiculi, quae hernia humoralis sive testiculus venereus dicitur. Gott. 1797.*
Baillie, *neue Bemerkungen.*
Celsus, *l. VII. c. 18.*
Pet. Frank, *de cur. hom. morbis l. V. p. 162.*
Heister, *Wahrnehmungen. N. 68.*

Iam *Celsus* (lib. VII, c. 18) varias causas et inflammationis testiculi et aliorum morborum testiculorum adnotavit.

Orchitis variis causis produci potest:

1. Saepissime exoritur in gonorrhoea syphilitica, praecipue si magna inflammatio partium cum ea coniuncta est. Plerumque in hoc casu aegrotus dolorem sentit trahentem in regione inguinali, in abdomine et in pelvi, qui motu augetur. Tum funiculus tumescere incipit spermaticus, et in eo praecipue vas deferens; porro epididymis tumet et denique testiculus ipse corripitur. Si epididymis solummodo ab inflammatione correpta est, et testiculus non aegrotat, haec inflammatio nominatur epididymitis. In levioribus casibus tantum funiculus spermaticus et epididymis afficitur. Raro in hoc morbo uterque testiculus laborat.

2. Plerumque in aegrotis gonorrhoea laborantibus causae orchitidis sunt irritantes et inflammationem excitantes; exempl. gr. motus vehementes corporis, iniectiones in urethram irritantes, purgantia nimis salina et excitantia, usus et abusus spirituosorum, coitus; denique, si in gonorrhoea vehementi scrotum suspensorio non sublevatur.

3. Orchitis symptoma esse potest syphilidis universalis.

4. Per vim externam s. mechanicam exoriri potest.

5. Saepissime ortum ducit orchitis ex refrigerio partium genitalium, praecipue apud eos homines, qui ad perinaeum, scrotum et latus internum superius femorum valde sudant.

6. Corporis motus vehementes et magni gravesque labores affluxum sanguinis adauctum ad testiculum procreare, et inde inflammationem producere possunt, refluxu sanguinis impedito.

Plerumque orchitis, nisi remedia apta adhibeantur, celeriter ad magnum gradum increscit. Tumor testiculi adaugetur, praecipue si exsudatio in antro tunicae vaginalis exoritur, quod fere semper in magna inflammatione fit. Scrotum extenditur, rubet et valde dolet. In stadio acmes vomitus oritur, dolor in abdomine et febris; tum pulsus frequens est, durus, plenus; capitis dolor vehemens, lingua albide obtecta, appetitus ciborum diminutus, et in singulis casibus Peritonitis accedere potest, praesertim in hominibus plethoricis, robustis, iuvenilibus, qui morbum nimis neglexerunt. Tum periculum in mora.

Exitus huius inflammationis plerumque est resolutio, quae reconvalescentiam producere potest. Si morbus per longum tempus durat, si haud aptis remediis curatur et praecipue, si dyscrasia scrofulosa vel arthritica adest, saepe remanet per longum tempus aquae collectio in tunica vaginali testiculi vel induratio epididymidis. Resolutionem primum animadvertis in funiculo spermatico, si dolor et durities eius, tum, si tumor parenchymatis testiculi et epididymidis diminuuntur. Facile morbus in chronicum transit, si dyscrasiis universalibus

adiuvatur. Suppuratio, quae raro oritur, timenda est, si, praecipue in homine scrofuloso, dolor pulsans fit, si cutis elevatur et pulsatio sentitur.

Gangraena raro accidit, et in cura perversa solummodo exoriri potest.

In therapia duo sunt animadvertenda: causa et gradus vel eventus causarum morbi.

Si blenorrhoea suppressa ex urethra causa est, si morbus adhuc in evolutione et tumor nondum magnus est, tum fomenta et cataplasmata emollientia tepida ad penem adhibeantur; simul iniectiones irritantes in urethram ex tart. stib. gr. j in aq. destillat. ℥j. ter ad quater quotidie iniectio, fiant.

Causis remotis ipsa inflammatio testiculi consideranda et in eam agendum est. Si inflammatio vehemens et aegrotus plethoricus, robustus, iuvenilis est, tum venaesectio faciat initium curae; vel hirudines quindecim ad viginti ad perinaeum vel ad internum superius latus femorum. Quo facto, aegrotus in balneum tepidum mittatur. Detur laxans ex Calomelano (gr. jjj—jv) cum Jalappa (℈j). Si aeger debilis est et infirma valetudine, tum Tamarindi, Manna vel Infus. foliorum Sennae.

Cura externa variat secundum causam morbi. Si ex causa mechanica, tum frigus adhibendum, consistens vel ex vesica glacie repleta vel aliis fomentis frigidis.

Sin autem morbus ex suppressa blennorrhoea urethrae ortus est, frigus non laudandum, sed fomenta tepida ex aqua plumbica, infrictiones ex unguento hydrargyro cinereo (5—10 gr. p. d.) ad internum latus crurum superiorum. Aeger procumbat in dorso et caveat ne motus faciat. Sin autem ambulare debet ob negotia etc., tum opus est apto suspensorio. Statu acuto in meliorum reddito, adiuvetur resolutio per emplastrum hydrargyri, conii maculati, saponati, quo circumdatur scrotum. Morbo autem chronico facto, emplastr. asae foetidae supra nominatis emplastris praeferendum est.

Novissimis temporibus *Fricke* commendavit, in prima

inflammatione scrotum ita laciniis ex emplastro adhaesivo circumdare, ut inde comprimatur. Sed haec cura incerta est, quod facile exinde gangraena exoriatur.

Si inflammationis transitum in suppurationem evitare non possumus, et tumor in uno loco se tollit et acuminatur, tum, si dolor haud nimius est, cataplasmata tepida adhibeantur et apertura abscessus naturae committatur. Suppuratio si non cessare vult, et testiculus in desorganisationem transit, tum indicatio adest testiculum exstirpandi.

Si induratio exorta est, plerumque in epididymide locum habet, in multis casibus molestiam non fert et per totam vitam remanere potest. Nihilo tamen minus adhibeantur emplastra discutientia, inungatur unguentum kali hydroiodici ad internum latus crurum superiorum, et semper suspensorio ut aegrotus utatur, necesse est.

Cap. II.

De vulneribus testiculi et funiculi spermatici.

Saepius accidit, ut apud homines, qui negotia periculosa tractant, per multas variasque causas scrotum et in eo testiculus et funiculus spermaticus ita vulnerentur, ut exinde magnum periculum exoriatur.

Talium casuum plures legere potes apud Mursinnam *) et alios. Inflammatio, quae talia vulnera comitatur, semper vehementissima est, et excepta cura vulneris secundum regulas, simul methodum antiphlogisticam poscit, sicuti hoc iam adnotavimus in therapia orchitidis. Si testiculus per laesionem

*) Journal für die Chirurgie. I. p. 250.

vel per sequentem suppurationem deletur, exstirpatio opus est. Vulnerato funiculo spermatico, simulque laesis nervis et vasis ad testiculum proficiscentibus, semper corrugatur et emoritur.

Cap. III.

Accedimus nunc ad morbum, qui saepissime occurrit, et de quo multi scriptores doctissimi ad rem clariorem reddendam libros scripsere. Est enim *Hydrocele.*

Inter primos, qui hunc morbum in libris tractarunt, nominandi sunt: *Heister*, *Pott*, *Warner*, *Delonnes*, *B. Bell*, *Dussaussoys*, *Earle*, *Keate*, *Benedict*, *A. Cooper.*

Hydrocele est praeternaturalis et magna collectio aquae in scroto (secundum *A. G. Richter*). *A. Cooper* dicit: hydrocele est collectio aquae in tunica vaginali testis. *Pott* dicit: „Verbum Wasserbruch, hydrocele, verbotenus sumptum, significat quemque tumorem, qui ex aqua exoritur.“ Optimum est dicere: Hydrocele est collectio fluidi aquosi (humidi) in tunicis scroti vel testiculi. Differentia igitur est, num aqua in tela cellulosa scroti, in tunica vaginali testis vel in tunica vaginali funiculi spermatici colligatur.

Primus casus plerumque oedema s. hydrops scroti, et duo reliqui hydrocele nominantur. Verba solummodo hoc loco facere volumus de hydrope scroti et de hydrocele tunicae vaginalis testis.

a. *Oedema s. hydrops scroti.*

Hic morbus consistit in tumescentia oedematosa scroti. Aqua propagatur per totam telam cellulosam scroti, ita ut scrotum ad quodvis latus aequabiliter extendatur et raphe in media sit. Hic tumor s. intumescentia omnia symptomata

oedematis habet: iam enim digito prementi fovea relinquitur; tunica externa s. cutis scroti est glabra, frigida, nitet, caret rugis; color normalis, plerumque pallidus. Saepe eodem fere tempore ita praeputium tumet, ut aegrotus phimosi peccet, qua saepius urinae secretio impeditur. Ceterum tumor non dolet.

Plerumque oedema scroti est symptoma morbi universalis corporis, praecipue ascitidis et anasarcae. Interdum tamen est morbus localis et sequela pressus in vasa lymphatica per malum braccherium, per indurationem scirrhosam intra annulum abdominalem; apud infantes per quassaturam scroti in partu; saepius irritatio cutis scroti per urinam, vel refrigerium totius corporis vel scroti morbum efficit.

Interdum morbus exoritur ex urinae infiltratione in telam cellulosam scroti, et hoc scroti oedema saepius sequela est urinae retentionis. Quod si ad magnum gradum processerit, nonnunquam in inferiore et posteriore vesicae urinariae parte gignitur gangraena, per quam in telam cellulosam perinaei et scroti urina penetrat. Quo facto, scroti intumescentia subito exoritur. Item interdum fieri potest, ut urina per aperturam praeternaturalem urethrae in scroti telam cellulosam transeat, quamobrem hic tumor saepius invenitur in hominibus fistula urethrae laborantibus.

Sed alia adhuc restat causa oedematis s. hydropis scroti; nempe: si adest hydrocele tunicae vaginalis, quae per vim mechanicam vehementem rumpitur, tum aqua ex hydrocele transit in telam cellulosam scroti, et hydrocele tunicae vaginalis mutatur in oedema s. hydropem scroti. —

Quod ad therapiam oedematis s. hydropis scroti attinet, hoc ante omnia spectandum est: Removenda est causa, num sit universalis an localis. Iam enim aptis remediis ascitide sanata, hydrops scroti eo ipse medetur. Pressu per malum braccherium etc. remoto, tumor scroti sponte evanescit, nisi iam satis magna aquae copia scroto insit. Tamen duo sunt casus, in quibus cura localis desideratur, quorum unus est,

si causa universalis vel localis aut nullo modo, aut non celeriter removeri potest, et si tumor vel potius hydrops magnas molestias excitat et periculum imminet. Si exempl. gr. urina in scroti telam cellulosam transit, statim operatio opus est; alias enim mox inflammatio, suppuratio, gangraena et fistulae exoriuntur. Scroti cutis valde quidem elastica, tamen in hydrope ita extendi potest, ut inde rumpat. Tales casus narrat *Warner.* *)

Alter casus, ubi cura localis desideratur, est, si hydrops scroti ortum ducit ex causis, quae itidem curam localem indicant.

Varia a variis medicis remedia ad sanandum morbum proposita invenimus. Optimum tamen et maxime probatum remedium manet operatio, qua aqua in tela cellulosa scroti evacuatur. In rarioribus quidem casibus et mitiora sufficiunt medicamina. Nam oedema scroti neonatorum saepissime fomentationibus ex vino calido debellatur. Hydrops scroti ex quassatione saepius medetur primum hirudinibus applicatis, tum adhibitis fomentationibus spiritus vini, aquae calcariae vel decocto herbarum aromaticarum et applicatione suspensorii. — Sin autem tumor permagnus quotidie adhuc crescit et vehementes molestias procreat, tum unicum remedium in operatione, et quidem per puncturam. Sunt quidem medici, qui incisionem faciunt, qua autem aqua nimis celeriter removetur et magna apertura, per quam aër atmosphaericus intrare potest, facile magna inflammatio et exinde gangraena timenda est.

b. *De Hydrocele tunicae vaginalis testis.*

Hic morbus semper paulatim, nunquam subito exoritur. Tumor primum se praebet in fundo scroti, in inferiore parte testiculi, et paulatim ascendit usque ad annulum abdominalem.

---

*) An account of the testicles and the diseases, to wich they are liable. London 1774. A. D. B. B. XXVIII.

Tumor est forma pyriformi; in inferiore parte maximum, et in regione annuli abdominalis minimum circuitum habet, elasticus est, saepe fluctuat et cutis eius non mutata; leviore pondere est, quam crederes, si magnitudinem tumoris adspicis; simul non augetur tumor, si aegrotus tussit vel motus multos facit, neque in abdomen pellendus est. Plerumque sine omni dolore exoritur, nisi inflammationis sequela est, ita ut aegrotus eum fortuito et saepe non citius animadvertat usque ad tempus, quo iam satis magnam evolutionem adeptus sit. Interdum solummodo dolor vel sensus trahens morbi formationem comitatur.

Testiculum plerumque in posteriore et inferiore tumoris parte sentis. Tamen huius situs varietates invenis. Nam interdum testiculus in anteriore parte tumoris situs est. Hoc eo declaratur, quod tunica vaginalis inflammatione corripitur, priusquam aquae collectio orta erat. Tum verisimile in anteriore tumoris parte materies secernitur adhaesiva, qua inter medium et externum testiculi involucrum adhaesio formatur permanens; si igitur serius secernitur serum, tum hoc ad partes testiculi et post eum colligere se debet. Tales casus narrat *A. Cooper.* *)

In universum summi est momenti, testiculi situm cognoscendi, cum alias saepe in operatione testiculi perforatio cum tricuspide effici potest. Semper in exploratione quovi loco satis forte premas tumorem; si testiculum tunc senseris, hunc locum duriorem invenies simulque aegrotus de vehementi dolore queretur. Funiculum spermaticum supra tumorem senties, nisi iam ad annulum abdominalem usque extendatur. Fluidum in hydrocele contentum plerumque est serum pellucido-flavum; nonnunquam tamen parva in eo corpuscula cartilaginosa inveniuntur, quae autem signum sunt, morbum iam longius tempus extitisse.

*) Theoretisch-praktische Vorlesungen über Chirurgie. A. d. Engl. von Schütte. Vol. I. S. 258.

Quo maior tumor, eo rotundior fit; interdum tamen in hac re variare potest; sunt, qui videre hydrocelem forma cylindri et farciminis. Si hydrocele sequela est inflammationis, tunica vaginalis interdum uno vel pluribus locis adhaeret testiculo et tumor inaequalis, tuberosus fit. Tumorem senties tamquam vesicam aqua repletam; in initio mollis est; quo plus autem aquae in eo colligitur, et quo citius hoc fit, eo tensior et durior fit. Nihilo tamen minus hydroceles invenis magni voluminis et tanta laxitate mollitieque, ut plane comprimere eas et testiculum bene sentire liceat. Quo minus est tensus tumor, eo melius in eo fluctuationem sentis. Interdum tam durus est quam sarcocele, imo tamquam cartilago, quibus in casibus plerumque tunica vaginalis contra normam est crassa et dura. Interdum etiam bullae tum in cavo tunicae vaginalis loco aquae inveniuntur, quae fluidum continent gelatinosum. Tales casus narrant *Schmucker* et *Saviard.*

Hydrocelen tunicae vaginalis si premis cum digito, non fovea relinquitur. Tunica scroti externa semper maiorem minoremve copiam rugarem habet, quantumlibet possideat magnitudinem tumor; nunquam cutis tam laevis et tam splendens quam in hydrope scroti. Membrum virile retractum; tumor non dolet; solummodo si cito adaugetur, tensionem sentit aegrotus. Quum plerumque hydrocele in uno solummodo latere exoriatur, et, si contrarium fit, in eodem latere non eadem sit magnitudine, nunquam raphe in media sita. Cutis scroti colore est normali.

Diagnosis valde sustentatur hoc experimento: „In conclave obscurefacto, lucem post tumorem ponas, et videbis perspicuitatem eius, si fluidum in eo clarum et tunica vaginalis non crassa est.“ Saepius, si tumor valde extensus est, tunica vaginalis, tela cellulosa et m. cremaster crassitie sunt affecti; tum tumor durior, non pellucidus, nulla fluctuatio. Imo tunica vaginalis ad partem ossificari potest. Hydrocele si iam per longum tempus adest, funiculus spermaticus et testiculus varicosi fieri possunt; interdum testiculus atrophia

corripitur. Si magnitudo tumoris immensa fit, scroti venae tument, cutis inflammatur et saepe ulcera in ea exoriuntur.

Symptomatum supra nominatorum ope plerumque medicus hydrocelen tunicae vaginalis testis ab omnibus aliis scroti tumoribus dignoscere potest. Nihilo tamen minus sunt casus, in quibus difficillimum est, cognoscere morbum; nam sunt morbi scroti, qui tantam similitudinem cum hydrocele habent, ut et medicus sagax et practicus facile in diagnosi errare possit.

Morbi, quibuscum hydrocele tunicae vaginalis testis commutari potest.

1. Commutari potest hydrocele cum intumescentia testiculi, quae nominatur Sarcocele. Hic morbus eandem habet formam quam hydrocele, in eodem loco scroti, in inferiore parte funiculi spermatici, sedem habens. Differentia exstat in duritie tuberosa, inaequali, dolente sarcocelis, quo contra hydrocele est tumor aequabiliter extensus, fluctuans, non dolens. Sed non semper sarcocele dura est, et interdum et hydrocele duritiem possidere potest. Optimum symptoma diagnosticum constat in transparescentia hydrocelis; sed etiam hoc interdum fallax esse potest signum. Aliud bonum signum est, sarcocelen in universum maiore esse pondere, quam hydrocelen. Raro testiculus omnibus locis aequabiliter durus est, qua de causa Sarcocele aliis locis plus minusve durior vel mollior est.

2. Interdum hydrocele coniuncta est cum hydrosarcocele. Quia testiculus induratus et tumefactus aqua circumdatus est, sentiri non potest, qua de causa sarcocele diagnosci non potest. Sin autem sentimus duritiem insolitam in ea regione, ubi testiculus est, et superiorem funiculi spermatici partem plane duram invenimus, tum sarcocelen suspicari licet.

3. Difficillime interdum est diagnosin statuere hydrocelis, si cum aliis herniis morbisque scroti iunctam eam videmus. Interdum cum hernia vera coniuncta est, et tum respiciendus est modus originis et quod hydrocele nec tussi nec

motu corporis augeatur. Interdum aegrotus uno eodemque tempore hydrocele tunicae vaginalis testis et hydrocele funiculi spermatici peccare potest.

Quaedam de aetiologia hydroceles.

Causae hydroceles plerumque sunt ignotae; sua sponte exoriri potest in hominibus plane sanis, praecipue apud infantes senesque. Saepe inflammatio repens tunicae vaginalis causa esse videtur. Plerumque hydrocele est morbus localis, qui ex causis localibus exoritur. Causa frequentissima est contusio testiculi, quam ob rem saepius hydrocelen invenimus in equitibus. Tunc interdum celeriter exoritur et augetur, ita ut vas lymphaticum ruptum esse videatur. Neque raro pressus in superiorem funiculi spermatici partem per malum braccherium causa est hydrocelis. Interdum sarcocelen comitatur et tum sequela est testiculi indurati.

Warner observavit, in regionibus orientalibus valde calidis saepius inveniri hydrocelen, quam in terris frigidis; idem dicit, aegrotos hydrocele peccantes ab hoc morbo liberatos fuisse, si terras frigidas permigrassent; eodemque morbo denuo affectos fuisse, si in terras calidas rediissent. —

Rochoux *) dicit, intumescentiam scroti, quae est sequela gonorrhoeae, non, uti fere omnes putant, a testiculi inflammatione, sed ab hydrocele pendere, quae ex tunica vaginali inflammata (Vaginalite secundum *Rochoux*) exoriretur. Argumenta huius opinionis haec sunt: Testiculus, firma et crassa membrana fibrosa circumdatus, non tali gradu et in paucis diebus, imo paucis horis, tumescere potest quoad volumen bis contra normam adauctum; porro: Talis testiculi intumescentia raro in suppurationem transit, quo contra inflammationes testiculi ex aliis causis saepius hunc exitum praebent;

---

*) Archives générales de Médecine. Mai. 1833. p. 51.

porro: intumescentia incipiente semper fluctuatio adesse debet, quod eo magis adhuc demonstratur experimentis, fluidum adesse probantibus.

Gausseil *) fluidum turbidum, crassum, paulo sanguinolentum, circuitui tumoris respondens, simul cum materia crassa, glutinosa, invenit et *Rochoux* **) experimentis in sex cadaveribus institutis demonstravit, inflammationem testiculi fere semper a fluido in tunica vaginali pendere. Si malum adaugetur et nihilo tamen minus fluctuatio non sentitur, tum hoc pendere putat ab sensibilitate partium, explorationem accurationem non permittentium; porro putat in resolutione incipiente per resorptionem fluidi tenuis tumorem talem formam acquirere, tanquam causa eius intumescentiae organi durioris indolis inesset.

Blandin ***) opinatur, statum partium differre secundum temporis spatium, in quo exploratio fiat; dicit, in initio per vasa deferentia inflammationem descendere ad epididymidem et testiculum, tumoremque epididymidis et testiculi efficere, tamen in decursu sequenti et si resolutio incipiat, in effusione praecipue summam rem positam esse. *Chelius* dicit, post operationem hydrocelis per sectionem intumescentiam testiculi saepius usque ad magnitudinem prioris tumoris perbene inspici posse.

Prognosis hydrocelis bona statuenda est, et fere semper cura apta iustaque tollitur morbus, si simplex est et complicationibus caret. Si cum testiculo indurato complicatum vides, tum in eo casu ad sanitatem perducitur, si testiculus ad priorem statum suum normalem reducitur vel exstirpatur. Si sibi ipsi hydrocelen committis, nunquam natura ipsa, excepto rarissime in infantibus eam medetur.

---

*) Archives générales de Médecine. T. XXVII, p. 188.

**) Académie de Médecine. Séance du 27. Septembre 1836.

***) Gazette médicale. 1836. p. 638. Nr. 40.

Therapia.

Plerumque ad hydrocelen usque adhuc descriptam sanandam operatio chirurgica desideratur, et in casibus valde rarissimis est medicaminibus interne et externe adhibitis resoluta. In infantibus interdum emeticis resoluta est. *) Puer, duodecim annos natus, fumigationibus ex aceto, fomentis ex aqua plumbica et laxantibus saepius repetitis ab hoc morbo liberatus est. **) — *Morand* multis hydrocelis applicatione fonticuli ad scrotum, eodemque successu *Douglas* applicatione fonticuli ad regionem inguinalem medicatus est. *Schmucker* hydrocelen vaporibus ex aceto mane et vespere adhibitis et fomentis ex aceto vini resolvit. Aegroti scrotum valde sudavit. *Warner* in infantibus hydrocelen saepius curavit remediis purgantibus et externe adstringentiis adhibitis. *Keate* ***) hanc formulam valde laudat:

Rec. Sal. ammon. pulveris. ℥j.
Aceti
Spirit. vin. rectifat.
M. D. S. ā̄a ℥jv.

Linteola in hac mixtione madefacta terque per diem repetita, scroto imponuntur et per suspensorium figuntur.

Non solum aqua et hydrocele ipsa paulatim evanescunt, sed etiam non amplius repletur hoc remedio, quod duplici modo, nempe in hydrocele aqua repleta, et in hydrocele operatione palliativa vacuefacta adhiberi potest. Primo casu adhibitum, resolvit aquam, secundo novam impedit aquae collectionem. *Earle* et alii quidem contendunt, non semper hoc remedium tantos effectus praebere.

Et *Keate* ipse dicit, hoc remedium non plane a se solo

*) Chir. Bibliothek 5. Bd. p. 120.
**) Chir. Bibliothek 9. Bd. p. 593.
***) On the Hydrocele.

esse inventum, quum iam ab *Aëtio*, auctore graeco, commendatum fuisset. *Vid. Aët. tom. IV. Serm. II. cap. 22. Lat. vers.:* Sunt etiam medicamenta, quae citra ustionem ac erosionem humoris discussionem promittunt. Postquam varia dedit huius effectus praescripta, haec addit: Foliorum hyoscyami viridium, colophoniae cerae, adipis porcini, sing. Sexuncem, ad folia trita affundito liquefacta, ac utitor. Hoc ego ad hernias aquosas usus sum et primum tumorem emollivit, et valde compescuit, ac post paucos dies, exsudantibus testiculis plurimam aquam extraxit.

Fortasse lectori benevolo placebit, si tractatum Aëtii ex Leonida de causis, symptomatis et cura hydrocelis secundum *Joh. Baptist. Montani* ex editione basiliensi anni 1533 de re medica Lib. 14. cap. 21. p. m. 19 et seqq. hoc loco addo:

„Aquosus ramex quandoque ex occulta, quandoque ex manifesta causa contingit. Ex occulta quidem, quando exauctis vasis in scroto contentis aquosa materia propulsa et sanguini admixta ad eas partes decubuerit. Ex manifesta autem, quando ob percussionem collisis aut fractis localibus vasis, sanguis subinde defluens ad aquosam substantiam transmutatur. In illo igitur, qui sponte consistit aqueus humor collectus subflavus aut subpallidus invenitur, sed in eo, qui a percussione generatur, cruentam aut faeculentam materiam percipies. Humor autem vel intra rubeam membranam testiculum ambientem, vel exterius inter ipsam et tunicas adiacentes, vel in privata membranula tanquam in quadam vesica colligitur: quod genus, tunicae agnatae ramicem nuncupamus. Duplexque interdum ramex contingit, quoniam collectio et in rubra tunica et in agnata perficitur. Si ergo in rubra tunica humor collectus fuerit, tumor uniculor apparet sine dolore, in principio, dum adhuc parva collectio est, tactui cedens. Postea vero adaucta collectione testiculus quidem nimia humoris copia occultatus ad signorum censum non accedit, et tumor in ambitu extensus tactuique resistens carnosi ramicis opinionem imperitis, afferre solet, tactu tamen discerni

possunt: nam carnosus ramex omnino renitens est, sed aquosus digitis cedit. Si vero humor in agnata tunica colligatur, tumor eius, sive magnus, sive parvus fuerit, omnino circumscribetur. At si simul in rubra quoque aggregatur, duo tumores deprehenduntur, alter in agnata alter in rubra tunica. Illud sciendum, ubi collectio extra rubram tunicam fiat, testiculum tactu intra notas occurrere. Porro a ramice intestinorum aquosus differt: quoniam in aquoso tumor in eadem prorsus magnitudine toto tempore, et quolibet corporis situ persistit: neque enim humores sicut intestina traducuntur. Inguen praeterea in ramice aquoso secundum naturam se habet, quae maxime nota aquosum ramicem a ramice omenti distinguit. In ramice etiam omenti semper in scroto omentum persistit, neque unquam traducitur, quod etiam aquoso contingit, sed in omentali inguen rarefactum deprehenditur. Tutissima ergo curatio, quae ad ramices adhibetur, manuum actione et ustione perficitur peritum artificem postulans, scrotum tamen etiam medicamento inuri potest, et ubi humor absumtus fuerit, superveniente cicatrice locus firmari. Tale ergo ad hunc usum efficax erit, radicis brassicae crematae cinerem cum adipe suis antiquo liquefacto, ad emplastri formam subigito et applicatum alligato, finitoque aegrum quiete agere, ac perendie soluto medicamento locum foveto: quo deinceps rursus apposito, idem tam diu repetes, quousque fractio quaesita supervenerit. Emplastrum vero appositum angustum oblongumque esse oportet, ne plus, quam res exigat, locus uratur, ita ut in magnis quidem tumoribus ad quattuor digitorum longitudinem, et pollicis latitudinem accedat, in parvis autem ad duorum tantum digitorum longitudinem et auricularis latitudinem. Sed ubi tunica humorem continens inustione revelata sit, eam scalpro secabis, eductoque humore fistulare collyrium sectioni impones, ut circumiacentes partes erodantur, rubefacta vero sectione suppurante medicamento utemur, tum excidente crusta, quae repurgandi ulcerandique vim habeant, linimenta imponemus, postremo ad adstringentia progre-

diemur, quale est quod barbarum appellant, loco etiam inurendo pro brassicae radice, quodpiam eorum applicari poterit, quae putrefactoria appellantur. Post humoris autem excretionem, ne rursus collectio fiat, malagmatis huiuscemodi uteris.

Rec. Cerae ℔. j.
Picis ℥IX.
Ammoniaci thymiamatis ℥XXI.
Aluminis liquidi ℥j vel jj.

Aliud Asclepiadae medicamentum ad aquosas ramices paratum, quod si peracta perforatione et humidi excretione applicetur, sanitatem restituit et omnem duritiem resolvit.

Picis aridae lib. jjj, cerae, terebinthinae, ammoniaci thymiamatis, galbanae, thuris sing. lib. j. aceti sextaria, ligustrini olei quod sufficit. Picem subactam cum sesquisextario aceti decoquito, inde ammoniacum cum modico aceti tritum adiicito et parum ferveficri finito; postea ceram imponito, qua liquefacta galbanum et thus cum aceto trito, admiscebis, cumque omnia univeris, sublata ab igne in mortarium coniicito, in quo portiuncula aceti fit; postremo ligustrinum instillando exacte subigito. (Egregie etiam facit loliaceum emplastrum, quod decimo quinto libro inter nigra describitur.) Nec desunt medicamenta, quae sine ustione et perforatione humorem discutere pollicentur, veluti quod habet spumae argenti dr. VI, salis fossilis, atramenti sutorii āā ʒX, cerussae ʒXIII, terebinthinae ʒXI, olei lib. j. Spumam argenti, cerussam, sal ad integram permixtionem decoquito, deinde atramentum sutorium cum aceto tritum misceto, observando, ne effervescat, atque ubi parumper bulliverit, terebinthinam adiicito, quod postea medicamentum ab igne sublatum in mortario subiges, et ad usum servabis.

Aëtius loco citato cap. LVI. p. m. 53. fistulare collyrium describit. Fistulare collyrium ab antiquis fistulis callos exterens: atramenti sutorii, misyos, chalcitidis crudae, aeruginis, aluminis scissilis, rubricae sinopicae, gummi portiones aequas in aceto assumito. Quodsi gummi vice thus duode-

cuplo mellis admixtum susceperit, callosos sinus repurgat: at si uni parti eiusdem, octo mellis adieceris, incarnat et ad cicatricem ducit.

Inter emplastra emollientia et discutientia Aëtii inveni: 1) Psittacium ex Althaea Poletis, loco cit. Lib. 15, cap. 14. p. m. 92. Corticem radicis Althaeae herba vigente in pila contundito, deinde in aereum seu fictile vas translatum vino albo et vetusto, odorato et adstringenti respergito, ita ut tantum humescat: deinde operito ac tribus diebus permittito, quarta in pila rursus contundito, succoque inde valide expresso, sumes colophoniae unc. XXIV, cerae unc. IV, olei, aeruginis āā unc. jj., et succi duas atticas heminas, atque hoc modo praeparatis, colophoniam cum oleo liquatam et transcolatam placido igne piceae lignis incensis taedacea spathula versando decoquito, quousque in aquam instillata solidior evadat: deinde ceram adiicito, qua eliquata ollam ab igne removeto, et ubi refrixerit, succum paulatim infundito, diligenter observando, ne effervescat; facile enim intumescit, ut ab olla effundatur; ubi vero constiterit, rursus igni admoveto, et postquam incaluerit, aeruginem immittito, tollitoque ab igne et refrigerato, quod postea manibus dudum subiges, ut exquisite uniatur: facit ad nova et antiqua ulcera, ad pannos et strumas, aut enim discutit, aut suppurat aut effringit, aut materiam ad superficiem evocatam veluti in hypopiis solet, per halitum digerit.; hydrocephala infantum sanat, lienis duritiem emollit. etc.

2.) Emplastrum *) eruminae plurimi usus, abscessus discutiens aut frangens, strumas et reliqua huiusmodi molliens, quod habet cerae, resinae, adipis porcini, foliorum hyoscyami virentium exquisitissime contusorum, aphronitri, ammoniaci thymiamatis āā libr. j., confice atque usus tempore cum oleo antiquo remollito et utere.“

---

*) l. c. pag. 98.

Kinder Wood *) invenit, si post tumoris aperturam cum lanceola lata et post aquam emissam frustula tunicae vaginalis protrahitur et cum forfice absciditur, inflammationem non magnam esse, quae vasa exhalantia et resorbentia ad statum normalem reduceret et curationem sine adhaesione tunicae vaginalis cum testiculo efficeret. Ubi autem tunicae vaginalis crassities adest, haec curandi methodus non commendanda.

Si morbus oritur ex causa interna, a remediis quibusdam sanationem sperare possumus, exempl. gr. a mercurio, si morbus originis syphiliticae est. Interdum etiam morbus oritur ex causa rheumatica. **)

Operatio in cura hydrocelis adhibita duplicis generis est; nempe operatio palliativa et radicalis.

Prima consistit in evacuatione fluidi per punctionem cum tricuspide vel lanceola. Haec operandi methodus indicata est in iis casibus, qui curam radicalem vetunt, ut in hominibus valde antiquis, in degenerationibus testiculi et si aegrotus operationem non permittit etc. etc. Cura palliativa sine omni periculo institui potest; neque tamen magnum emolumentum praebet, quod mox fluidi copia restituitur. Tricuspis ad operationem lanceolae praeferenda, quod per tubam aqua bene defluere potest.

Operationis ipsius descriptionem hoc loco omittamus, quod in quovi chirurgiae libro fusius legi potest quam nos eam ob breve temporis spatium describere possimus.

Transeamus igitur ad curam radicalem, cuius est, sedem morbi, cavum tunicae vaginalis, plane delere.

Operationis methodi diversissimae sunt, quarum optimas et maxime usitatas breviter huc adnotare in animo habemus.

---

*) Medico-chirurgical Transactions. London 1818. Vol. IX. p. 38.

**) Stoll, ratio medendi Tom. III. p. 132.

1. *Operatio per sectionem.*

Aegrotus cubat in mensa; minister tendat cutem; tum chirurgus in media superficie tumoris anteriore cutem scroti discindat. Cum scalpello aperturam in tunicam vaginalem, et cum forfice eam maiorem faciat. Minister tunicam vaginalem scissam sumat tollatque ut superficies interna libera fiat. Frustulum linteoli in oleo emersi in cavum tunicae vaginalis ponatur. Vulneris margines claudantur per emplastrum adhaesivum. Semper post operationem suspensorio ut utatur aegrotus, opus est. Operatione facta, cura instituitur secundum inflammationis sequentis gradum.

2. *Operatio per iniectionem.*

Methodus, iniectionis ope in cavum tunicae vaginalis fluidum irritans iniicere, ut in ea inflammatio et exinde sanatio hydroceles efficiatur, iam antiquis temporibus nota erat. *Earle*, *Sabatier* *), *Sharp*, *Bell* et *Richter* eam autem uberius adhuc tractarunt. Fluida tum temporis usitata ad iniectionem irritantia vel adstringentia erant, e. gr. vinum cum aqua; solutio granor. duor. lapid. caustici in uncia aquae; solut. gr. duorum cupr. sulphuric. in unc. aquae; aqua calcis pura vel cum hydr. mur. corros.; solut. fortis aluminis vel sacchari saturni; infus. cortic. quercus vel rosarum etc. etc. *Earle*, *Bell* et *Monro* fere semper duabus partibus vini hispanici mixto cum una parte aquae pro iniectione usi sunt. Sin autem hydrocele iam inveterata, si iam saepius operatio palliativa erat adhibita et crassities tunicae vaginalis aderat, fluidum magis irritans, ut vinum purum, pro iniectione sumebant.

Nunc iniectiones ita fiunt: Primum punctio fit methodo iam supra descripta cum tricuspide, et tunc per tubam tricuspidis syringis ope fluidum aptum, e. gr. una pars

*) Mémoires de l'Ac. de Chir. de Paris. T. V.

vini rubri cum duabus partibus aquae, ita in cavum tunicae vaginalis iniicitur, ut ad priorem circuitum extendatur, et fluidum clausa tubae apertura per quinque minutas in tunica vaginali remaneat. Semper autem sensibilitas aegroti indicat, quam vim iniectio habere debeat. Operatione peracta aperturae vulneris empl. adhaes. imponitur, et scrotum suspensorio circumdatur. Iam die sequente rubor, dolor et tumor adest, et nunc vel fomenta tepida adhibeantur, vel, nisi nimis magna sit inflammatio, sibi ipsi res committatur.

Adnotandum adhuc est, novissimis temporibus *Velpeau* *) saepissime tincturam Iodi (Tinct. iodi ʒj—jj, aquae destill. ℥j.) pro iniectione et quidem felici cum successu adhibuisse.

3. *Operatio per setaceum.*

Primum punctio per tricuscipidem fit, ut aqua evacuetur; quo facto, per tubam tricuscipidis altera tuba longior immittitur, continens specillum acutum, cuius finis apertura, cui fila insunt, munita est. Haec tuba longior immittitur ad partem superiorem anteriorem scroti, et tunc specillo locus perforatur. Fila per aperturam ducuntur et deligantur; tuba extrahitur, aperturae empl. adhaes. obteguntur et suspensorium adhibetur. Inflammatio et suppuratio, quae sequuntur, methodo usitata curantur. Die decimo vel decimo quarto semper quavi deligatione fila nonnulla setacei extrahuntur usque dum omnia remota sint.

4. *Operatio per causticum.*

Veteres medici causticum ita in hydrocele adhibebant, ut tunica vaginalis inde aperiatur. Successus huius operandi methodi bonus fuisse non potest, quod non solum tunica vaginalis inflammata est, sed etiam ut aër intrare possit, permisit. Qua de causa per longum tempus caustici usus sepo-

---

*) Froriep's N. Notizen Band VIII. No. 11.

situs, usque dum *Else, Dussaussoy, Acrel* et alii eum denuo commendarunt simili modo, ut nunc adhibetur. Methodus nunc usitata haec est: Causticum (lapis causticus, coniunctus cum aqua ut fiat pasta) emplastri fenestrati ope lateri anteriori tumoris imponitur ut per sex ad octo horas ibi manet. Crusta formata decisa locus cum lanceola pungitur, et tumore evacuato unguento digestivo obtegitur.

5. *Operatio per excisionem tunicae vaginalis.*

Tunica scroti sicut tunica vaginalis discinditur; tunica vaginali ex vulnere digitorum ope extracta per sectionem longitudinalem abscinditur. Vinculum et cura eadem sunt quam in operatione per sectionem.

Omnium harum operandi methodorum multas adhuc existere variationes, quisque facile intelliget. Nos solummodo maxime usitatas hoc loco perlustravimus, alias omisimus.

Non dubitandum autem est, quamque operandi methodum tanquam optimam laudatam fuisse ab eo medico, qui primus eam commendaverit felicique cum successu adhibuerit. Tamen lectorum quis ex nobis quaerere posset, quamnam methodum nos optimam haberemus. Respondemus: operatio per sectionem, quod maxima nobis praebet commoda sanationemque certam nobis promittit. Nam sectione omnes complicationes certissime animadvertere, inflammationem sicut volumus, adaugere, et metrorrhagiam facillime sistere possumus. Plures hydroceles tunicae vaginalis casus in clinico chirurgico ego ipse observavi, quos autem hoc loco omnes describere nimis longum foret. Plurimi operatione per sectionem et duo operatione per excisionem tunicae vaginalis sanati sunt.

Cap. IV.

De testiculo scrofuloso.

Testiculus scrofulosus, *Engorgement scrofuleux du testicule*, *scrofulous Testicle*, — morbus est testiculorum, cuius multis in libris chirurgicis mentio quidem facta est, de cuius existentia et proprietate autem mancam solummodo et adumbratam notitiam habemus, et de cuius symptomatis, natura et decursu scriptores varia, contraria atque saepius levia dixerunt.

Cum notum sit, morbum scrofulosum (scrofulosin) et diathesin s. dyscrasiam scrofulosam praecipue glandulas et organa corporis humani quae simile quiddam glandulis habent afficere et mutationem in iis producere, iam a priori proponendum neque negandum est, scrofulosin et in organisatione testiculi, organi systematis lymphatici tam glandulosi, influxum malum producere posse. Hic rerum nexus *Scarpam* *) in errorem induxit, ut „Struma testiculi", quod nil aliter est nisi fungus medullaris testiculi, idem esse haberet, quam „tumor testiculi scrofulosus". Dicit enim: *„Die langsam und von freien Stücken entstehende, fast unschmerzhafte Vergrösserung der Hoden bei kleinen Knaben ist immer und ohne irgend eine Ausnahme von scrofulösem Ursprunge und scrofulöser Natur"*. Eadem ex causa *Scarpa* pseudorganisationes secundarias in systemate lymphatico abdominis ex fungo medullari testiculi orientes pro strumate, i. e. pro tumoribus scrofulosis glandularum habuit.

M. Baillie **) ita testiculum scrofulosum describit: „Interdum testiculus structuram suam normalem perdidit, et in mas-

---

*) Scarpa a. a. O. p. 8.

**) The morbid anatomy of some of the most important parts of the human body. London 1793. pag. 235.

sam vere scrofulosam mutatus est. Talibus casibus plerumque adauctus est, et in dissecando substantiam albidam vel e flavo-albam, spissatam, maiore vel minore puris quantitate commixtam praebet".

Eadem dicit *Sam. Cooper.* l. c. pag. 226.

Warren *) haec dicit de testiculo scrofuloso: *„Diejenige Geschwulst des Hodens, welche durch eine sogenannte scrofulöse Entzündung entsteht, ist vielleicht unter allen permanenten Geschwülsten dieses Organs die am häufigsten vorkommende. Sie wird bei scrofulösen Individuen zwischen dem 20sten und 30sten Lebensjahre beobachtet, und ihre Entstehung gewöhnlich durch Missbrauch der Geschlechtsorgane begünstigt. Zu den gewöhnlichsten veranlassenden Ursachen, die jedoch nicht immer zu ermitteln sind, gehören mechanische Verletzungen und anhaltende Fieber. Die Geschwulst entwickelt sich langsam, ohne Schmerzen und Gefässaufregung, ist anfänglich auf der Oberfläche gleichförmig und ergreift die epididymis nicht; später aber umfasst sie Nebenhode und Samenstrang. Sie ist nicht missfarbig und beim Druck nicht empfindlich; endlich aber wird sie regelmässig, und es bildet sich an irgend einer Stelle eine Hervorragung. So wie diese wächst, wird die Geschwulst schmerzhaft, und es stellt sich zuweilen eine Contraction und Taubheit der entsprechenden Extremität ein. Zuletzt bricht die Geschwulst auf und es fliesst ein mit einer flockigen Masse* (vel glandulae secretio vel pus malum) *gemischtes blutiges Serum aus; die Wunde wird fistulös und der Ausfluss dauert oft Jahre lang. Ist der Testikel vor der Eröffnung der Geschwulst noch nicht gänzlich desorganisirt, so wird er es später; er erlangt seine normale Beschaffenheit niemals wieder. Reichen die Kräfte des Kranken aus,*

*) J. C. Warren, Praktische Bemerkungen über Diagnose und Cur der Geschwülste, übersetzt von Dr. Bressler. Berlin 1839.

so kann die Wunde heilen, und es bleiben die Residua eines Hodens zurück".

John Pearson *) uberius et fusius testiculorum affectionem scrofulosam tractavit. In universum dicit, formae et structurae mutationem testiculi in scrofulosi similem esse eae glandularum conglobatarum ab hoc morbo correptarum; simul autem affectionem scrofulosam duplici modo apparere posse contendit.

a) Subito, et quidem decursu acuto; tumor, dolor vehemens, color fuscus scroti exoritur, et saepius totum corpus affectum est. Quod malum, nisi removeatur vel mitigetur, phlegmonis vehementiam assequi potest. —

b) Lente, decursu tardo; quo in casu mitiorem symptomatum gradum, progressum eorum lentum, duritiem modicam, irritabilitatem testiculi adauctam, non dolorem sed potius gravamen ex sensu ponderis animadvertis. Tumor non magnus, at forma tumoris irregularis est, ita ut saepius difficile sit, differentiam inter eum et scirrhum testiculi statuere. **)

Pearson ***) symptomata distinctiva haec affert: Voluminis auctio in testiculo scrofuloso celerior, forma laevior et aequabilior, dolor obtusior et durities minor est quam in scirrho; simul eodem tempore et alia symptomata scrofulosa animadvertuntur, e. gr. tumor albus, fistula lacrymalis etc. — Ceterum tumores, qui haud raro in infantibus occurrunt, ex epididymide, e corpore testiculi vel ex funiculo spermatico prodire posse; testiculum et post resolutionem cura antiscro-

---

*) Practical observation on cancerous complaints, with an account of some diseases which have been confounded with the cancer. Lond. 1793. pag. 60. sq.

**) Pearson, l. c. pag. 66. a testicle may be enlarged, tender, incompressibly hard an irregular in its figure; there may be a considerable thickening of the spermatic chord, and a diseaded state of the scrotum etc.

***) l. c. pag. 61.

fulosa saepius per longum adhuc tempus duritiem quandam et formam paulo irregularem possidere; ceterum morbum esse recidivum, et in recessibus pluries repetitis facile in testiculi substantia suppurationem formari, quibusdam locis adhaesiones cum tunica scrotali plerumque valde rubefacta, et in tunica dartos parvos abscessus oriri. Tandem tunicam dartos plane desorganisatam esse, et tum ulcus sordidum, valde sensibile, margine inaequali, dentato, duro, et fundo e virido-grisco, cancri aperto simillimum, adesse.

Eadem fere dicit *Peschier* *) quod ad similitudinem testiculi scrofulosi cum scirrho exulcerato.

John Thomson **) dicit, inflammationem scrofulosam saepissime in testiculis occurrere atque suppurationes dolorificas causare; si decursum lentum habet, facile pro scirrho haberi potest.

Meckel ***) (qui scrofula, tubercula et nodos eadem esse putat), adnotavit libro citato, in hominibus scrofulosis et in partibus genitalibus tubercula invenisse, quae aequalia fuissent tuberculis in pulmonibus. In testiculis et epididymidibus plerumque sparsa, non magna copia adesse, alba, dura et perspicue impressa. Tamen testiculum, si scrofulosus fieret, augeri quod ad ambitum (idem, quod et *Baillie* animadvertit), et in talem massam mutari, quae post aliquot tempus per mollitiem intrinsecus ad externam partem in pus friabile mutaretur, in quo glebulae firmae, irregulares, ex griseo-albidae, caseo similes essent.

Montfalcon †) in tractatu suo „*Engorgement scrofuleux*

---

*) Mélanges de Chirurgie étrangère p. 129. Genève 1825.

**) Lectures on inflammation. Edinb. 1813. Uebers. von Krukenberg. Halle 1820. Band I. pag. 247.

***) Patholog. Anatomie. Bd. II. p. 385.

†) Montfalcon, im Dict. des sciences médic. Tom. 50. 1820. Art. Sarcocèle. pag. 23.

du testicule“ haec dicit: Haec induratio chronica levem solummodo efficit dolorem et lentos progressus facit; raro in exulcerationem transit et plerumque funiculum spermaticum sanum invenies. Hic tumor usu resolventium et remediorum vasa lymphatica excitantium debellatur.

Ita tumor scrofulosus testiculi plerumque se praebere, tamen secundum *Montfalcon* et in cancrum transire posse dicitur.

Fournier Pescay et *Begin* *) dicunt, tumores scrofulosos haud raro in cancrum verum, et quidem non solum in scirrhum et carcinoma, sed etiam in „*tissu cérébriforme*“ transire posse. Eadem fere ait *Otto* **), dicens: „Non raro per scrofula eorumque complicationes cum aliis morbis varii exoriuntur tumores, qui saepius transitum ad sarcoma et carcinoma faciunt.“

Leveillé ***) in tractatu de Sarcocele duo eius genera affert, quorum unum „*Sarcocèle strumeux ou cancéreux*“, aliud „*Sarcocèle strumeux ou scrofuleux*“ nominat.

Chelius †) dicit: „*Die scrofulösen Anschwellungen des Hodens sind weniger hart und schmerzhaft, wie der Scirrhus. Der Hoden wird dabei in eine gelblich-weisse, geronnene Masse verwandelt, wie man sie in den scrofulösen Drüsengeschwülsten findet. Der Samenstrang ist meistentheils in natürlichem Zustande. Doch geht die Geschwulst manchmal in Ulceration über, es bilden sich schmerzhafte, leicht blutende Auswüchse, der Samenstrang schwillt an und es entsteht nicht selten krebshafte Degeneration. In den meisten Fällen lassen diese Anschwellungen durch eine passende allgemeine Behandlung und durch die örtliche Anwendung resolvirender Mittel die Zertheilung zu.*“

---

*) Dict. des sciences méd. Tom. 50. 1820. Art. Scrofules. p. 299.

**) Lehrbuch der pathologischen Anatomie. Bd. I. Berlin 1830. p. 63.

***) Nouvelle doctrine chirurgicale. Paris 1812. Tom. IV. p. 199 sq.

†) Chirurgie. Seite 622, §. 2468.

Tumor fortasse primo initio singula tubera et nodulos duros praebebit, si primum depositione materiei tuberculosae singulis locis malum formatur. Sin autem totus testiculus una corripitur, tumor erit aequalis planamque superficiem praebebit; tamen volumen eius non celeriter augebitur et nunquam magnum gradum extensionis habebit quem saepe brevi tempore testiculus fungosus adipiscitur. Dolor in testiculo scrofuloso non magnus, tamen in universum, praecipue pressu, vehementior quam in fungo medullari erit. Ad quod accedent symptomata dyscrasiae scrofulosae universalis. Exitus testiculi scrofulosi, nisi cura antiscrofulosa, et remediis localibus resolventibus et discutientibus debellatur, duplex esse potest.

a) Mollities et suppuratio, tales quales apud alios tumores scrofulosos animadvertimus, exoriri possunt. Tum plerumque mollities ex media originem ducit; primum formatur exulceratio interna, quae tandem rumpitur et pus sebo simile secernit. Haec omnia non fiunt in fungo medullari testiculi, qui rarissime vel nunquam in apertam exulcerationem transit.

In interiore testiculo massam granulosam, caseo vel sevo et saepe cretae similem invenies, quae nota propria tumorem scrofulosorum est. Ulceris formati autem haud raro haec proprietas esse potest, quod pertinax et malignus fieri possit. —

b) Induratio scrofulosa in indurationem malignam, scirrho similem transire, tumorem nodosum, duritie lapidis, cum dolore lancinante, scirrhositatem funiculi spermatici etc. praebere, et postremo, symptomata cachexiae universalis ostendens, in carcinoma transitum facere potest.

Num induratio scrofulosa, primo tempore secundaria s. benigna et simplex et in fungum medullarem testiculi, ut multi scriptores dicunt, transire possit, nondum vere dicere possumus, et observationibus continuis et accuratis committere debemus. —

Cap. V.

De fungo medullari testiculi.

Fungus medullaris testis a variis scriptoribus diversissimis vocatus est nominibus, ex quo concludere possumus ipsos scriptores non solum de natura sed etiam de symptomatis morbi, praesertim in evolutione eius valde dissentiisse. *Callisen* *), qui primus morbum descripsit, nominat eum fungus testium, et de eo in capite de Sarcocele loquitur. Dicit: „Fungus testis: si huius substantia in massam aequalem, molliorem, fungi aemulam, absque notabili dolore, mutata fuerit, per se irresolubilis atque immutabilis est, neque nisi mole et funiculi spermatici tensione nocet". Ex his verbis elucet, *Callisen* fungum medullarem testis novisse, eumque a scirrho dignovisse. — Et *M. Baillie* **) hunc testiculi morbum commemorat, et differentiam statuit inter eum et scirrhum. Iam enim dicit: „*The testicle is sometimes much enlarged in size, and converted into a brown uniform, pulpy matter, in which is natural structure is entirely lost. This sort of change has been sometimes mistaken for scirrhus, although it is very different from what is called scirrhus in other parts of the body, and what is also found in the testicle itself*". In universum ab Anglis hic morbus nominatur fungus haematodes; interdum vocatur medullary Sarcoma secundum Abernethy. — Francogalli nominant eum fere semper Sacrocèle, *Cancer mou, fongeuse du testicule* ***), *Cancer cérébriforme du testicule* †),

*) Systema chirurgiae hodiernae. Hafn. 1817. Vol. II. pag. 177.

**) The morbid anatomy of some of the most important parts of the human body. London 1793. pag. 235 et 236.

***) Roux a. a. O. p. 215.

†) Mémoires sur les maladies cancéreuses, d'après des observations

Carcinome du testicule *). *Maunoir* nominat morbum „*fungus médullaire*". Itali fungum medullarem vocant plerumque Struma, Struma fungosa testiculi, Testiculus strumosus; fere omnes autem chirurgi italici, et inter eos et ill. *Scarpa*, contendunt, fungum medullarem testiculi non esse, sed struma. Germani autem recte dicunt: Fungus medullaris testiculi, *Markschwamm der Hoden, Marksarcom der Hoden, Breihode, Hodenschwamm, weicher Krebs.*

Primum symptoma huius maligni testiculorum morbi plerumque tumor non dolens est. Post aliquot demum tempus et epididymis morbose afficitur; cl. *a Walther* **) dicit, morbum et ex epididymide originem ducere posse; sed tamen hoc rarius fieri.

Paulatim testiculus affectus, dum volumen eius augetur, mollior et laxior et ubique elasticus fit. Forma eius rotundo-ovalis; sensim sensimque dolor trahens, pungens in testiculo, et in exploratione sensus fluctuationis fallax exoriuntur.

Porro, tumore iam valde aucto, primum in regione inguinali lateris affecti glandulae tumescere incipiunt, et brevi tempore saepissime altam magnitudinem adipiscuntur, simul saepius fluctuationis sensum praebent et tensionem partium adiacentium efficiunt. Dolor nunc fit vehementissimus, continuus et valde aegrotum vexat. Venae *scrotales* ***) tument magnoque numero adsunt. Cutis ob vehementem tensionem plerumque rubra et nitens; nihilo tamen minus non opus est, quin semper hanc ob rem adsit inflammatio.

---

de la Clinique de M. le Professeur Bougou. Par A. Velpeau. In der Revue médicale française et étrangère. Année 1825. Tom. I. p. 227.

*) Breschet l. c. pag. 215.

**) Ueber Verhärtung, Scirrhus, harten und weichen Krebs u. s. w. in v. Walther's u. Graefe's Journal der Chirurgie u. Augenheilkunde. Bd. V. Heft 2. pag. 229.

***) Venae scrotales anteriores et posteriores.

Initio morbi funiculus spermaticus plerumque non valde affectus; sin autem tumor testis iam magnum volumen nactus est, tumescere incipit inde a testiculo ad annulum abdominalem. —

Notum est, in universum fungum medullarem, si aliis locis corporis quam in testiculo, invenitur, rumpere, effluere ex eo ichorem, exque tumore crescere fungum forma irregulari, colore e rubro-nigro, facillime sanguinantem. Sed hoc non fit in fungo medullari testiculi; iam enim non est notus casus, quo secundum auctores hoc factum sit; dicunt enim, in fungo medullari testis morbum ad hanc fungi formationem non pervenire. Dicit *Wardrop* *), se nullum observasse casum, in quo, scroti integumentis apertis, ex testiculo morbose affecto fungus excreverit. Sempiterna iam enim irritatio et febris aliaque symptomata accedentia prius aegroti vitae finem faciunt, quam exulceratio et ex ea fungi formatio oriri potest. Eadem opinione *Chelius* **) est, eademque fere dicit *Meckel* ***).

Interdum tamen, quamquam et hoc rarissime fit, formatos videmus in scroto, si testiculus iam altam magnitudinem nactus est, abscessus †) parvos, qui exulcerationem efficere possunt. ††)

Astley Cooper †††) quidem nullo modo consentit in hac re; dicit enim in perlustratione huius testiculorum morbi, exulcerationem scroti exoriri, si malum valde progressum sit, exque apertura substantiam fungosam, magnam copiam fluidi aquosi secernentem facileque sanguinantem, provenire. Cumque igitur fidem exhibere debemus tali viro erudito fideque

---

*) l. c. p. 117.

**) l. c. p. 497.

***) Pathol. Anatomie. Bd. II. Abtheil. II. p. 314. u. 315.

†) Abernethy a. a. O. p. 58.

††) Sam. Cooper, Handbuch der Chirurgie Bd. II. p. 144.

†††) Vorlesungen über die Grundsätze und Ausübung der Chirurgie. Bd. II. Weimar 1826. p. 106.

digno, elucet, rarissime quidem fieri posse, ut fungus exoriatur ex scroto exulcerato. Valde autem errat *Depping* *), dicens: „Sin autem falso crediderimus, hydrocelem adesse, et punctio institueretur, brevi ex vulnere fungum brasicae botryoidi similem, omniaque symptomata fungi haematodis exhibentem, germinare videmus.“

Adest quidem alia adhuc observatio, ubi ex scroto exulcerato fungus germinavit. Est casus *J. Howship* **) ubi autem, quod bene notandum est, perversa et mala adhibita fuit cura, quae disruptionem et exulcerationem scroti effecerat.

Decursus et exitus morbi diversissimi et ante omnia pendent de aegroti constitutione. Interdum paucis mensibus exitus infaustus oritur; plerumque autem lente decurrit. Iam enim *Astley Cooper* vidit casus, qui quinque ad quindecim annos duravere. Saepissime nonnullis annis finis vitae imponitur hominis hoc morbo peccantis. Decursus rapidior vel lentior pendet ab tempore, quo universae sanitatis turbatio aegroti vel Cachexia oritur. Aegrotus queritur de lassitudine et viribus exhaustis post minimum laborem; negotia non amplius tractare potest; digestionis molimina oriuntur; color cutis squalidus, flavus; alvus stipata, tarda, dura; appetitus ciborum diminutus; gustus in ore amarus et lingua flavo muco obtecta. Mox alvus tam tarda et constipata fit, ut fortissimis resistat remediis; aegrotus queritur de pressu in scrobiculo cordis, de ruptubus, de dolore variis abdominis locis; saepissime dolor in regione hepatis, qui pressu augetur, adest. — Quotidie magis macer fit aegrotus, viresque valde languescunt. Per integumenta abdominis saepius in abdomine sentiuntur tumores parvi et magni, interdum valde dolorifici. Tussis sicca accedit, quae magna affert aegroto

---

*) Dissertat. inaug. de fungo medullari testiculorum. Berol. 1825. p. 23.

**) Practical observations in surgery, and morbid anatomy. London 1816. p. 324—332.

molimina; respiratio brevis; non raro adhuc adveniunt dolores in regione sacrali, qui per funiculum spermaticum ad tumorem scroti usque se extendunt.

Glandulae inguinales supra commemoratae plerumque non sunt dolorificae; cutis autem tensa eas obtegens saepe decolora fit, rumpitur totusque tumor in exulcerationem ichorosam transit, ex qua frustulae decidunt et vehementes metrorrhagiae oriuntur. Mox febris hectica advenit; extremitates tumescere incipiunt, abdomen valde tumefactum et sensibile; vomitus oritur materiei viridis maxime foetentis; loco alvi constipatae vel non solutae nunc existere vides diarrhoeam et sub symptomatis maximi angoris et orthopnoeae aegrotus moritur.

Exploratio pathologico - anatomica.

Exploratio pathololologico-anatomica fungi medullaris haec nos docet: Sensus iam supra commemoratus fallax fluctuationis post mortem adhuc invenitur, si tumor ex scroto sumptus est. Quamquam plerumque testiculi et scroti tunicae in hoc morbo non inter se sint concretae, tamen exceptionum non sunt paucae. Sin autem adest adhaesio, tum saepe invenimus tunicam albugineam valde et fortiter in tota superficie adhaerentem cum tunica vaginali propria. *Gierl* *) quidem contendit, testiculos fungosos nullo loco coalescere; sed in hac re cum eo non consentiunt *Wardrop*, *Sam. Cooper* et *Chelius*. Epididymis plerumque cum testiculo in unam massam mutata, ita ut difficillimum sit, eam in testiculo destructo invenire. Incisione in massam aegrotam facta primum colorem normalem parenchymatis testiculi vario modo vel colorem griseum, flavum, vel ex rubro-subnigrum et ex rubro fuscum mutatum videmus. Neque in universum structurae et consistentiae firmae et compactae quidquam invenimus parenchymatis testis; quo contra massam fungosam cellulis imparis,

*) l. c. pag. 285.

humorem plus minusve spissatum continentem, videmus. Canaliculi seminales evanuere. Tumor dissectus si per longius tempus in aqua deponitur, magna pars massae minus compactae facile cum aqua sese commiscit et tela gluta, fibrinoso-cellulosa remanet, in qua humor pulticulae similis depositus erat. Tamen haec substantia mollis induratur, si per aliquot tempus in spiritu vel in acido quodam deposita erat, et parvis frustulis ex cavis cellulosis sumi potest. Substantia compacta, quae partem format massae degeneratae, vasis praedita, quorum tunicae tenerrimae, ita ut minima vi externa rumpant et sanguinem crasso-nigrum emittant. Sed totius huius descriptionis quod ad degenerationem testiculi fungosi, varietates multas reperimus, quas autem, ne res nimis in longum protrahatur, omittamus.

Quaedam de aetiologia.

De natura fungi medullaris vel de causa eius proxima, i. e. de conditionibus internis, quae ortui eius subsunt, ad perfectam adhuc certitudinem nondum pervenire possumus. Nam in hoc morbo et causae externae, praedisponentes et occasionales magis in dubio sunt. In plurimis casibus fungi medullaris testiculi videmus, vim mechanicam ad testiculum valentem causam esse evolutionis *localis* desorganisationis. Quo contra autem fere quotidie videmus vehementissimas causas mechanicas ad testiculum valere, et nihilo tamen minus sequelas obnoxias non animadvertimus, vel solummodo inflammationes, seu acutas seu chronicas, quae autem non mutationem texturae efficiunt. Ex quo elucet, in vi mechanica non solam causam morbi, sed in re quadam inesse, quae iam ante vim mechanicam corpori insita erat; nam saepissime fungum medullarem exoriri videmus, quamquam nulla vis in testiculum valuerat. — Sed de hac ut ita dicam, genesi fungi medullaris saepissime in dubio sumus. Si videmus, aegrotum antea scrofulosi laborasse, vel habitum sic nomina-

tum scrofulosum possidere, dicimus, in scrofulosi causam morbi sitam esse; quo contra permultos videmus homines scrofulosi laborantes, qui nec fungo medullari testis nec fungo medullari aliorum corporis partium vexantur.

Porro anamnesis saepius nos docet, syphilide prioribus temporibus aegrotum affectum fuisse, quam ob rem, si aliam causam geneseos fungi medullaris afferre non possumus, in syphilide eam ponimus; quo contra tam saepe ut notum est, syphilidem, ulcera syphilitica, gonorrhoeas, indurationes testiculi syphiliticas videmus et tamen fungus medullaris testiculi raro invenitur.

Eodem modo res se habet cum arthritide, scabie etc. etc. Fere nulla est dyscrasia, quam non cum fungi medullaris genesi coniunctam videmus. Quo contra negari non possumus, in singulis casibus iam ante evolutionem localem mali fungosi symptomata clara adesse morbi universalis, praecipue eius, qui perversam sanguinis mixtionem et statum sic dictum cacochymicum demonstrat, et in quibus casibus fungus medullaris testiculi sine causa mechanica exoriebatur. *Chelius* *) ita hunc morbum universalem describit: „*Die Kranken haben eine grünliche Farbe der Haut, die häufig mit einer klebrigen Ausdünstung bedeckt ist, einen immerwährenden beunruhigenden Husten, Athmungsbeschwerden.*“

Nihilo tamen minus saepissime talis diathesis non adest, et fungus medullaris tamen exoritur. In eo autem consentiunt plurimi scriptores, genesin fungi medullaris in dyscrasia quadam, quam optime dyscrasiam fungosam nominare possemus, positam esse. Conf. *Chel.* l. c. §. 2280.

---

*) l. c. Bd. II. Abtheil. 2. §. 1964.

Therapia.

Ad hoc usque tempus nondum contigit, remedium invenire, cuius ope malum irritum facere, vel in integrum restituere, vel fide quadam sedare in evolutione possemus. Omnia remedia, et externa et interna, non solum resolutionem efficere et morbosam mutationem organisationis in ipso testiculo tollere, sed etiam transitum mali in morbum constitutionalem impedire non valuerunt. Remedia principalia adhuc adhibita sunt:

a. Externa.

1. Hirudines, sed in principio morbi.
2. Frigus.
3. Tegumentum scroti emplastris discutientibus, e. gr. Empl. mercuriale cum camphora et opio; Empl. gummi ammoniaci, cicutae, hyoscyami etc. Simul similia remedia ad scrotum infricata sunt.
4. Fomentationes ex aceto ammoniacale diluto, a *Richtero* commendatae; sicut et fomenta narcotica e. gr. ex cicuta, hyoscyamo etc.
5. Applicatio setacei ad regionem inguinalem.
6. Summa quies et indulgentia testiculi, qua ex causa ut situs horizontalis corporis desideretur, coïtus et in universum seminis excretio prohibeantur, necesse erat.
7. Usus suspensorii.

b. Interna.

1. Mercurialia.
2. Antimonialia.
3. Narcotica.
4. Tonica.
5. Laxantia, per satis longum tempus uno tenore adhibita.
6. Iodina.

7. Usus inediae et inunctionum ex mercurio.

Omnia autem haec remedia malum nondum sanaverunt, et iam supra diximus, artem nostram nihil vel parum solummodo contra hunc morbum valere. Optimo successu, ut ita dicam, erant Tonica, Laxantia et quies indulgentiaque testiculi, simulque plura adhuc ab applicatione cetacei ad regionem inguinalem initio morbi positi exspectanda sunt. Unica autem spes vitae servandae in exstirpatione tumoris iam in initio morbi, vel in amputatione membri hoc malo affecti, et tum in usu Tonicarum sita est. Quamquam et haec curandi methodus rarissime felici successu coronatur, quod malum vel in loco sedis prioris vel in alio loco redit, et tum maiores adhuc progressus facit, — nihilo tamen minus remedium anceps melius est quam nullum.

Adiectae morborum historiae.

a. *Steatoma cysticum testis cum steatomate cystico in abdomine.*

Anamnesis.

Pater aegroti, *Henrici V . . . . .*, vinarii ex oppido Neuss, iam dudum phthisi mortuus. Mater adhuc vivens bona semper valetudine gaudet. Consanguineorum aegroti frater, viginti quatuor annos natus, studiosus theologiae, phthisi periit. Sorores duae sanae sunt. Quod ad ipsum aegrotum, in iuventute, excepta in capite eruptione nunquam aegrotasse refert. Decem et octo annos natus, miles factus, bello contra Francogallos intererat multosque labores perpessus est. In Gallia scabie affectus; eruptionem autem, simul a medico negligenter tractatam, pro nihilo habuit, ita ut per tres menses ea laboraverit. In Germaniam, et quidem Duesseldorpiam reversus, doctorem *E. Bischoff* adiit, qui malum pro morbo sanguinis habuit et unguentum bullas procreans ordinavit, quod ad latus sinistrum in regione subcostali infricabatur. Duobus mensibus post valetudinem recuperavit. Anno aetatis vicesimo quarto feminae sanae nupsit, et cum ea quinque liberos procreavit, quorum maior natus semper scrofulosi, minor natus eruptione capitis peccat, unus scrofulis periit et duo reliqui sani sunt. Mater infantum mense Septembre anni 1842 ascitide et carie cruris dextri diem supremum obiit. Semper negotium suum maxima cum diligentia aegrotus noster tractavit, libenter autem confitetur, saepissime spirituosorum magnum amantem fuisse. Viginti et septem annos natus

(anno 1823) febri intermittente tertiana correptus, qua per tres annos peccavit.

Primum mense Maio anni 1840 sinistri testiculi volumen tertia parte adauctum animadvertebat, quamquam huius rei causam, excepto refrigerio ante nonnullos dies, non intelligeret. Dolor premens in testiculo affecto. Doctor *Rheins* in oppido Neuss arcessitus nil nisi suspensorii usum ordinavit; quum autem per decem menses malum semper in peius verteretur, tumorque testiculi magis augeretur, medicus quietem commendavit et hanc medicinam praescripsit:

R. Iodinae gr. β.
Kali hydroiod. ʒβ.
Aq. destillat. ℥vj.
Syrup. papav. alb. ℥j.

m. d. s. Mane et vespere cochlear magnum sumatur.

Quum autem ob negotia aegrotus quietem tenere non posset, simulque medicina ab eo seponeretur, malum magis adhuc crevit. Anno 1842 mense Augusto consiliarium intimum Dr. *Wutzer* adiit, qui malum ex causa interna profectum declaravit et fonticulum supra suram sinistram ponere suasit. Domum reversus hoc autem non fecit, sed malum sibi ipsi commisit. Mense Ianuario anni 1843 denuo Dr. *Rheins* adiit, qui ei iterum medicinam iam supra scriptam et hoc unguentum praescripsit:

R. Ungt. kali hydroiod. ʒjjj.
Extr. conii maculat. ʒj.
Ungt. linariae ʒjj.

d. s. Infricetur.

Aegrotus autem medicinam non tulit; ea enim sumpta mucum amarum evomuit. Medicina seposita vomitus cessavit. Cum autem die decimo quinto mensis Ianuarii tumorem adhuc magnum in regione hypochondriaca sinistra sentiret, et reliquum malum maiores semper progressus faceret, clinicum nostrum chirurgicum adiit, in quo die octavo mensis Februarii anni 1843 receptus est.

Conditio praesens diei 8. Febr.

Aegrotus statura magna, robusta, capillis fuscis, oculis caeruleis et colore faciei satis sano. In pectore auscultationis ac percussionis ope nil contra normam. In regione hypochondriaca sinistra sub integumentis abdominis tumor magnus, sursum fere usque ad scrobiculum cordis, dextrorsum super lineam albam et deorsum ad regionem inguinalem usque se extendens. Tumor satis durus, non dorsuosus, sub pressu non dolens, non removendus nec fluctuans. Dolor in tumore semper lancinans et lacerans, praecipue adversa tempestate. Scrotum ad nonam usque ad decimam partem voluminis adauctum, forma pyri inversi. Tumor enormi magnitudine venis valde tumefactis praeditus. In cuti externa nil contra normam. Testiculus sinister non sentiendus; testiculus dexter iuxta tumorem positus, facile removendus, non aegrotat. Duo funiculi spermatici sani. Dolor in testiculo affecto non magnus, ex testiculo in tumorem et abdomen se extendens. Ipse tumor ex pluribus partibus consistere videtur, nec cutis externa ei adhaerens sed facile removenda. Fluctuatio in tumore esse videtur.

Ceterum aegrotus bona gaudet valetudine, et animo hilari est. Appetitus ciborum et somnus boni; alvus bene soluta. Urina superficiem unguinosam praebet.

Diagnosis morborum praeteritorum.

1. Favus s. tinca capitis. 2. Scabies. 3. Febris intermittens. 4. Refrigerium.

Diagnosis morbi praesentis.

Steatoma cysticum (fluidum continens) testiculi et abdominis ex causa scrofulosa, ex refrigerio et fortasse ex abusu spirituosorum.

Pro hac diagnosi haec loquuntur: Tumor firmus, ex variis lobulis formatus, variis iniquitatibus praeditus, tamen non dorsuosus; pondus tumoris, pressu satis resistens; cutis removenda; progressus tumoris et dolor lancinans.

Prognosis.

Hoc in casu infaustissimam eam declarare debemus, quod in exstirpatione tumoris, i. e. testiculi, nulla, et in cura interna fortasse ne minima quidem spes posita est. Nam cum testiculi malum a tumore in abdomine pendeat, in abdomine tumor maiores celerioresque progressus faceret, si testiculi tumor operatione amoveretur. Finem enim vitae adducere potest pressu in tractum intestinalem, in lien, renes, vesicam urinariam, nervos, vasa etc. Et rumpere tumor, fluidum continens in cavum peritonaei vel abdominis effundere, et eo peritonitiden, enteritiden etc. gignere potest. Vel tumor in exulcerationem transire et sic mortem aegroti proferre potest.

Cura.

Quum prognosis, ut iam diximus, infaustissima et operatio ex causis in prognosi commemoratis non indicata sit, remediis internis cum cura externa apta tumoris progressus impedire quam maxime conare debemus. Multa remedia in hoc casu commendata, ex quibus, quod aegrotus Iodum non fert, carbonem animalem et quidem statim magna dosi (gr. jjj —jv p. d. quater per diem) proponimus.

9. Febr. Aegrotus in balneum tepidum missus. Praescriptum est:

R. Carbonis animalis gr. jv.
Sacchar. albi gr. v.
m. f. pulv. disp. tal. dos. Nro. VIII.
d. S. quater per diem pulvis sumatur.

Ungt. kali hydroiodic. ad internum latus crurum superiorum infricatum, quod quovi die fiebat. Ad regionem lumbalem sinistram fonticulus trium pisorum positus est. Aegrotus diaetam blandam, satis nutrientem, non irritantem accepit.

11. Febr. Aegrotus bene se habet; per noctem bene dormit et nullum dolorem sentit. Fonticulus bene suppurat et quartum pisum hodie ei immissum.

Sic aegrotus semper se habuit; dolor pungens, lacerans

plane evanuit; animus semper hilaris, et tumor scroti et in abdomine paulo minores fieri videbantur. Infrictiones kali hydroiodici et usus pulverum ex carbone animali continuabantur, ita ut aegrotus usque ad diem sextum mensis Martii, ad quod usque tempus semper bene se habuit, unciam unam et drachmas quinque kali hydroiodici, et unciam unam, drachmam unam et dimidiam et gr. duodecim carbonis animalis consumserit.

Die 6. Mart. Sub horam decimam subito aegrotus non bene se habuit; querebatur de nausea et ruptubus. Post quartam horae partem vomuit massam aquosam, glutinosam. Statim pulveres ex carbone animali sepositae sunt, et pulvis aërophorus e natro carbonico acidulo data est, qua sumpta vomitus cessabat. Aegrotus mentis suae non erat. Hora duodecima meridiana alvus aquosa, glutinosa, non foetens, laxata est, ita ut aegrotus tempore postmeridiana, et per noctem sequentem sedecies alvum deiicisset; cessata est profusio alvi ex pluribus dosibus pulv. Dow. sumtis Aegrotus valde debilitatus; lingua non obtecta, nullus dolor, pulsus non sentiendus; pulsus cordis centum et viginti ictuum in sexagesima horae parte. Sub vesperam delirium mussitans, per noctem durans.

Die 7. Mart. Sub horam nonam diarrhoea cessata, et sudor profusus totum corpus obtegit, ita ut exinde levamen quoddam aegrotus sentiret. — Praescripta est haec medicina:

R. Olei amygdalar. dulc. rec. expr. ℥j.
Gummi mimos. q. s. ut f. l. a. cum Aquae font.
emulsio ℥vj.
Cui adde:
Extract. hyoscyami gr. X.
Syrupi saccharati ℥β.
m. d. s. quavi hora cochlear sumendum.

Tempore meridiano status in peius mutatus; aegrotus deliravit, valde inquietus erat, et linteum carpere coepit; manus et pedes frigidi, oculi rigidi, pupilla dilatata, sudores

frigidi, pulsus non sentiendus. Hic status usque ad horam sextam postmeridianam duravit, in qua aegrotus mortuus est.

Sectio.

Sectio viginti quatuor horas post mortem instituta est. Scroto aperto fere octo unciae fluidi flavi, limpidi effluxere. Reliqua massa steatoma erat cum quattuor cystis, texturam fungi medullaris praebens. Totus testiculus sinister in hac massa degeneratus et nil ab eo inventum est; item epididymis sinistra. Testiculus dexter sanus sicut et funiculus spermaticus dexter. Funiculus spermaticus sinister degeneratus.

Cavo abdominis aperto, extra saccum peritonaei tumor inventus, de quo in conditione praesente sermo erat, se extendens inde ab annulo inguinali usque ad ventriculum, in columna vertebrarum fixus, magnitudine capitis magni hominis, colore caldae cacaoticae similis, multas cystas continens, consistentes ex massa laxa, tabida, pulticulae similis, ita ut in tumore exstirpando dimidium massae in cavum abdominis flueret. Iam autem primo adspectu fluidum subrubrum unciarum duodecim, massae in tumore simile, in cavo abdominis inventum. Tumor quibusdam locis ruptus et apertus. Intestina tumori adiacentia rubra, inflammata, sed nulla gangraena nec perforatio. Ren sinister plane deerat, et verisimile in tumore degeneratus et emollitus, quod urether sinister in tumore se extendebat, filis quibusdam in cysta quadam affixus. Iam et ren dexter in incipiente degeneratione, nam bis contra normam audauctus, ex eadem fere sed duriore massa consistens, quam alter tumor pondere novem librarum. Urether dexter normalis. Lien plane iuxta columnam vertebrarum a tumore pressus et planus. Ventriculus supra tumorem situs et valde parvus. Ceterum nil contra normam inventum est.

b. *Scrofula testium.*

Anamnesis. Patrem aegroti, *M. F* . . . . ex oppido Neuss saepius ulceribus in collo laborasse; matrem plethoricam

infirma valetudine esse. Aegrotum nostrum a prima inde iuventute aegrotasse, praecipue autem Scrofulosi peccasse; octo annos natus in aquam cecidisse, refrigerium inde et surditatem per tres menses sibi parasse. Quattuordecim annos natus adversa tempestate Rhenum traiecisse et denuo exinde refrigerium per tres hebdomades cum febri perpessum esse. Decem et novem annos natus, testiculum dextrum tumuisse et in eundo valde doluisse. Dr. *Becker* fomenta calida et suspensorium commendasse. Per quattuor menses malum paulo cessasse, tum denuo vehementius incepisse et hoc per quattuor annos durasse; medicum autem in hoc tempore non adiisse. Cum autem malum semper vehementius fieret, denuo medicum adiisse et ab eo pulveres pro medicina interna accepisse. Annos viginti et septem natus, genu sinistrum tumuisse et valde doluisse per quattuor menses. Cucurbitulis, hirudinibus et sudando hoc malum debellatum fuisse. Notandum, in eo tempore testiculi morbum meliorem, ante quinque annos autem denuo in peius redactum fuisse. Ante duos annos feminae sanae nupsisse. Mense Maio anni 1841 scrotum in medio pluribus locis rumpisse magnamque puris copiam secrevisse. Mense Septembre anni 1841 et sinistrum testiculum una affectum fuisse, et cum domi a medicis auxilium non accepisset, Bonnam in clinicum nostrum se contulisse.

Conditio praesens diei 5. Novbr. 1841.

Aegrotus statura media, colore quidem faciei satis sano sed habitu scrofuloso. In pectore nil contra normam. In antibracchio sinistro citatrix ex ulcere osteopathico.

Testiculi dextri volumen bis contra normam adauctum. Testiculus ipse valde durus et attractus versus annulum abdominalem. In tunica scroti duodecim cicatrices, et in anteriore parte scroti tres aperturas inter sese communicantes, materiem tenuem, puri similem secernentes, vides. Epididymis non affecta, sed solummodo testiculus et parenchyma. Funiculus spermaticus dexter paulo durus. Dolor, praecipue per noctem,

urens et pungens. Testiculus sinister ex quattuordecim diebus tumet, sed non durus nec dolens.

Ceterum aegrotus bene se habet.

Diagnosis in Scrofula testium ex causa scrofulosa, catarrhali et rheumatica facta, pro qua omnia in Anamnesi et conditione praesente dicta certant.

2. *Novbr.* Aegrotus in balneum tepidum missus. Pro potu accepit spec. ad decoct. lignorum. Praescriptum est:

R. Kali hydroiodici ʒj.
Solve in
Aquae distillet. ℥vj.
m. d. s. quater per diem cochlear sumendum.

Primum fomenta ex aqua tepida ad scrotum adhidita sunt, quae magnum levamen effecerunt. Tum, medicina ex kali hydroiodico saepius repetita, fomenta haec adhibita:

R. Decoct. rad. Saponariae
(e ʒjj. parat.) ℥vj.
Ammonii muriatic. dep. ʒj.
m. d. s.

Cum per tres hebdomades haec fomenta adhibita et per noctem ungt. simplex scroto impositum esset, tumor testiculi evanuit, suppuratio plane fere cessata, dolor valde diminutus. Testiculus sinister normale volumen denuo adeptus est. Conamen nunc factum est, foment. ex kali hydroiod. adhibere (ʒjjj. in ℥vjjj.); per noctem empl. asae foetidae scroto impositum. Optimo cum successu hoc factum est per tres hebdomades, ita ut die decimo mensis Ianuarii plane restitutus (dimidium quidem testiculi dextri per suppurationem destructum) domum redire posset. Nec malum rediit; nam ante sex menses aegrotum vidi, et morbum non rediisse affirmat.

Curriculum vitae Caroli Odenkirchen.

Ego *Carolus Odenkirchen* natus sum die decimo septimo mensis Febrarii anni MDCCCXVIII. Altenkirchiae, parentibus *Aloysio Odenkirchen* et matre *Sophia Erdnuess*, quos utrosque superstites veneror. Fidei addictus sum Evangelicae. Cum prima institutionis scholasticae elementa a patre optimo didicissem, gymnasium Bonnense, quod duce directoris cl. *Biedermann* floret, per octo annos frequentavi. Testimonium maturitatis nactus, anno MDCCCXXXVIII. almam litterarum universitatem Fridericiam Guilelmiam, quae Bonnae floret, adii, et a Rectore Magnifico cl. *Mayer* in numerum civium academicorum receptus sum. Decanus cl. *Wutzer* in album ordinis medicorum me inscripsit.

Hae sunt, quas per quattuor annos et dimidium audivi praelectiones:

Psychologia, anthropologia et logice apud cl. *van Calker;* Luciani dialogi deorum apud Cl. *Duentzer*; Physice apud Cl. *Pluecker;* Chemia experimentalis et organica apud Cl. *Bischof;* Botanice apud Cl. *Treviranus;* Zoologia et historia naturalis mammalium apud Cl. *Goldfuss;* Mineralogia apud Cl. *Noeggerath.*

Anatomia generalis et specialis apud Cl. *Mayer* et *Weber;* exercitationes microscopicae apud Cl. *Mayer;* Physiologia, de situ viscerum, de syndesmologia Cl. *Weber;* Encyclopaedia, pathologia et therapia generalis et specialis apud Cl. *Naumann;* materia medica et formulare apud Cl. *Bischoff;* Celsus de medicina, pathologia et therapia generalis, diaetetice et politia medica apud Cl. *Harless;* de morbis syphiliticis apud Cl. *Albers;* Ars obstetricia, historia artis obstetriciae, doctrina de instrumentis obstetriciis, medicina forensis et morbi

uteri apud Cl. *Kilian;* Chirurgia generalis et specialis, akiurgia, anatomia chirurgica, de morbis oculorum, selecta clinices chirurgicae capita apud Cl. *Wutzer;* Therapia generalis, Anthropologia, physiologia, pathologia et therapia specialis apud Cl. *Nasse.*

In exercitationibus practicis duces mihi fuere:

In secandis cadaveribus Cl. Cl. *Mayer* et *Weber*; in operationibus in cadavere instituendis Cl. *Weber;* In clinico propaedeutico et therapeutico Cl. *Nasse;* in clinico chirurgico et ophthalmiatrico, in fasciis applicandis Cl. *Wutzer;* in clinico obstetricio, in exercitationibus ad phantoma Cl. *Kilian.*

Chirurgi militaris voluntarii munere in septima equitum cohorte per annum duce Dr. *Kallmann* functus sum.

Omnibus hisce viris quam summopere de me meritis animum gratissimum habeo. Qua laude a me ornandi sint, nescio; id scio, me eorum beneficia semper in memoria habiturum.

Theses.

1. *Omnium medicarum disciplinarum anatomia est fundamentum.*
2. *Nullus morbus est insanabilis, etsi ipsum sanare nondum contigit.*
3. *Diabeti medendi nulla certe cura.*
4. *Febris hectica non contraindicat amputationem.*
5. *In curandis ulceribus dyscrasia maxime respicienda est.*
5. *Vulnus pectoris penetrans iam ab initio semper claudendum.*
7. *Auscultatio in arte obstetricia maximi est momenti.*
8. *Nulla virginitatis certa signa.*
9. *In placenta remanente activa methodus exspectanti praeferenda.*
10. *Nullum certum signum, neonatum mortuum post partum vixisse.*